



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

§. I. De Excommunicatione in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

- Interdicta Civitate, interdicuntur sibi
burbia ibi.
- Interdicta Ecclesia, interdicitur Cæmeterium, non è converso ibi.
- 129 *Judex suo arbitrio limitare potest effe-*
cus Interdicti.
- 136 *Interdictum quomodo tollatur, & ab-*
solvatur, ostenditur, & num. 137.
138. 139. 140. 141. 142. 143. 144.
- 145 *Quid sit cessatio à divinis ostenditur.*
- 146 *Cessatio à divinis est duplex, & differt*
ab Interdicto locali.
- 147 *Qui sunt effectus cessationis à divinis*
ostenditur, & n. 148.
- 149 *Ob quam causam cessatio à divinis im-*
ponatur, indicatur.
- 150 *Qui non habet jurisdictionem ferendi*
cessuras, cessationem à Divinis in-
dicere non potest.
- 151 *Forma ferendi cessationem à Divinis*
traditur.
- 152 *Quæ sit causa sufficiens ad imponen-*
dam cessationem à divinis ostendi-
tur.
- 153 *Cessatio à divinis non imponitur sine*
admonitione.
- 154 *Qui habet privilegium audiendi Divi-*
na tempore Interdicti, eo non utitur
tempore cessationis à divinis.
- 155 *Quid sit irregularitas ostenditur.*
- 156 *Irregularitas non incurritur, nisi in*
jure sit expressum.
- 157 *Quotuplex sit irregularitas ostenditur*
& declaratur unaquæque singillatim
159. 160. 161. 162. 163. 164.
165. 166. 167. 168. 169. 170. 171.
172. 173. 174. 175. 176. 177.
- 178 *Quot modis tollatur Irregularitas osten-*
ditur, & num. 179. 180. 181. &
182.
- 183 *Qui sunt effectus irregularitatis, osten-*
ditur, & n. 184.

Cum in prima, & secunda mei *Formularii* partibus formulas expeditionum usu frequentium in foro Ecclesiastico juxta præscriptum Sac. Canonum, ac Decretorum Sac. Congregationum tradere studuerim: & usus censurarum item in eodem foro frequentissimus sit, congruum, & cohærens mihi visum fuit, in hac tertia parte pro complemento totius operis, formulas censurarum publicandarum reponere: Et si rem difficilem explicandam me aggredi non ignorem; adhuc invocato prius Divino Trinitatis præsidio, optatum finem assequi posse non diffiteor. Antequam verò de his formulis agam, aliqua notabilia de ipsis censuris præmittam, quæ ad pliorem intelligentiam earundem formularum conducunt, & ad faciliorem directionem fori externi inservire, & pertinere noscuntur.

De Censura in genere.

x Censura igitur Ecclesiastica in genere, est correctio, & poena quædam spiritualis, ac medicinalis, privans usum aliquorum bonorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem inflicta delinquenti, donec à contumacia recedat. Dicitur pena medicinalis; quia per censuram non cessat ipsa spiritualis potestas, seu habilitas ad spiritualia bona, sicut per irregularitatem, depositionem, vel degradationem, quæ privant habitu, seu potestate utendi iis bonis, ex quo suæ natura sunt perpetuæ, nec statim auferuntur etiam si delinquens sit emendatus: Censura verò impedit tantum usum bono-

rum, & ab ea facilius conceditur absolu-tio post emendationem. Dicitur *privans usum aliquorum bonorum spiritualium* quia hæc quædam sunt propria, & permanentia, quibus nemo invitus spoliari potest, ut gratia habitualis, virtutes infusæ, earumque bona operationes; quædam verò sunt communia, quibus homo in pœnam privari potest quod ad usum activum, & passivum, ut est ministratio, & recep-tio Sacramentorum, & participatio publicorum suffragiorum Ecclesiae.

Tres tantum sunt Censuræ propriæ di-ctæ scilicet, excommunicatio, suspen-sio, & interdictum: quærenti 20. de verb. signific. c. 1. c. statutum, & c. is cui de sent. excommunic. in 6. Irregularitas autem,

A 2. non

non est propriè censura , seu poena ; sed inhabilitas quædam ad ministerium Altaris , seu impedimentum quoddam accipiendi , vel exercendi ordinem : sicuti depositio , & degradatio non sunt Censuræ , sed poenæ quædam contra incorrigibiles à jure canonico latæ . Item cestatio à divinis , non est censura Ecclesiastica , & quia non est prohibitio Divinorum officiorum , sed desistentia , & omissione , Navar. in manual. Prelat. cap. 27. numer. 1. & seqq. & n. 188. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 39. num. 3. & 4. & alii communiter . Et hinc fit , quod contumaces , & inobedientes , per censuras Ecclesiasticas compescantur ; Judex delegatus , non potest vigore talis clausula contumaces depnere , vel degradare , sed solum illos suspendere , excommunicare , & interdicere , ut advertit Graff. decis. aur. part. 1. lib. 4. c. 1. n. 5.

De excommunicatione §. I.

5 Excommunicatio à Divo Thoma sic diffinitur -- *Est separatio hominis Christiani à communione Ecclesie quoad frudum , & suffragia generalia* : in hac enim diffinitione continetur , & communio- nis fidelium , & Sacramentorum interdictio : vel . Excommunicatio est à qualibet licita communione fidelium separatio , in Summ. suppl. par. 3. q. 21. art. 1. & hanc secundam diffinitionem dat etiam glof. in cap. si quem 59. verb. non tamen minori , de sent. excom.

6 Hæc censura dividitur in majorem , & minorem d. cap. si quem de sent. excomm. major à communione fidelium absolute , & simpliciter separat , sive privat omnibus bonis communibus , nimis Sacra- mentis Ecclesiæ , tam quoad administrationem , quam susceptionem , publicis suffragiis , & convictu , seu societate ci- vili . Minor verò excommunicatio est , quæ tantum privat passiva perceptione Sacramentorum , citato c. si quem . Dicitur autem minor non propter parvitu- tem objecti , est enim ex se res gravis pri- vari perceptione Sacramentorum ; sed per comparationem ad majorem , cuius est pars , & quia incurrietiam potest pro-

pter peccatum veniale , D. Thom. in sum. suppl. par. 3. q. 23. art. 3.

Excommunicatio simpliciter lata , semper intelligitur de majori , cap. penult. de sent. excommun. & est poena gravissima , qua nulla major est in Ecclesia teste Di- vo Augustino relato in cap. corripiatur 24. q. 3. ideoque ad eam deveniri non debet , nisi postquam alia media , ac leviores pœnæ , & censuræ fructu sicut adhibita juxta monitum Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3. & modò etiam aliqua spes fit rei emendandi , vel saltem promovendi bo- num publicum , qui finis esse debet hujus pœnæ medicinalis , alioquin ab ea absti- nendum erit.

Item secundò dividitur excommunica- 8 tio (idem est de aliis censuris) in eam quæ fertur à jure , & in eam , quæ fertur ab homine . Excommunicatio lata à jure dicitur quando aliquid per legem , cano- nem , constitutionem , seu Statutum sub pœna excommunicationis prohibetur , vel præcipitur . Excommunicatio lata ab ho- mine est , quæ per Judicis sententiam infligitur : Inter has autem hoc est discri- men , quod sententia excommunicationis à jure lata perpetuò duret , etiam post mortem ferentis , sicut , & ipsa lex , quan- diu contraria lege , vel consuetudine non revocatur . Excommunicatio verò ab ho- mine lata extinguitur morte , aut deposi- tione ferentis , ita ut eo mortuo , non pos- sit deinceps incurri , quamvis qui eam vi- vente latore incurrit ea ligatus maneat , donec absolvatur : Unde si quis à Judice excommunicatus sit sub conditione -- si intra mensem non restituerit , & Judex ante mensem elapsum moriatur , non incurrit excommunicationem , Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 39. n. 9.

Item tertio dividitur excommunica- 9 tio in eam quæ ipso facto incurritur , sive criminis admissione , sive sententia Judi- cis : & vocatur excommunicatio late sententiae , ut si dicatur -- *qui hoc fecerit sit excommunicatus , sit anathema* : aut -- sub- jaceat excommunicationi : aut excommuni- cationis mucrone percutimus : vel -- excom- municationis sententia decernimus subja- cere , vel vinculo excommunicationis inno- damus ; aut -- extra Ecclesiam ejicimus : aut

præ-

præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto, mox, statim incurrendæ: aut -- excommunicetur, communione privetur ipso jure, ipso facto: aut excommunicationem incurrat: aut -- neveris te subjacere excommunicationi: vel -- decernimus te anathemate percussum &c. de quibus, & aliis clausulis sententiam excommunicationis latæ sententiæ importantibus habes apud Sebas. Medic. tom. 3. in som. peccat. cap. qu. 42. Graff. dec. aur. part. 1. lib. 4. cap. 2. n. 5. & 6. Sayt. de censur. lib. 1. cap. II. à n. 6. ad 11. & eam quæ non ipso facto incurritur, ante sententiam Judicis, sed per hunc infligi debet, & dicitur ferendæ sententiæ, ut si dicatur absolute -- qui hoc fecerit excommunicetur: aut -- excommunicationis mucrone feriatur: vel -- prohibemus sub pœna excommunicationis: aut excommunicationem incurret: aut -- prohibemus sub anathematis interminatione: vel -- sub obtestatione Divini judicii: aut -- indignationem Dei, & Apostolorum Petri, & Pauli, & nostram incurrat: DD. mox citati: hæc enim ultima clausula includit pœnam arbitrariam, Cherubin. in sum. Bullar. ad constitut. 30. Leon. X. Schol. 2.

II Quanquam ad ferendam excommunicationem non requiratur certa verborum forma, sed satis sit talis, per quam de præsenti mens excommunicare voluntis congruè exprimatur, & nil referat sive dicatur -- excommunico te à communione fidelium, sive privo, segrego, separo te, dummodo excommunicatio externis signis voce, vel scripto sufficienter sit expressa: nihilominus sententia excommunicationis majoris lata per Judicem, debet ferri in scriptis, & exprimi causa propter quam feratur, ex præscripto Canonis in C. cum medicinalis, de senten. excommunicat. in 6. aliás lator procedens ad excommunicationem contra formam ibidem traditam, præter suspensionem à divinis, & ab ingressu Ecclesiæ (quam incurreret per mensem) debet condemnari ad expensas, & ad omne interesse partis, & etiam aliis pœnis arbitrariis Superiori suo puniri, ut habetur expressè in d. C. 1. de sent. excom. in 6. Pirhing. loco supra Monacelli Form. Pars III.

citato nu. 12. vers. notandum tertio glos. in c. Sacro tit. eod.

Item quartò dividitur excommunicatio in eam quæ reservatur ferenti, & eam quæ nulli reservata reperitur. Excommunications, quæ hodie reservantur Summo Pontifici, præter casus contentos in Bulla Cænæ, sunt sequentes.

Contra omnes §. II.

Percutientes Clericum, vel Monachum c. si quis suadente 17. quæst. 4.

Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ c. querenti de offic. deleg.

Falsarios literarum Apostolicarum c. ad falsariorum de crim. fals.

Habentes literas Apostolicas falsas, & illas non destruentes c. dura eod. tit.

Incendiarios à Judice excommunicatos, & denunciatos c. tua nos de sent. excommun.

Sacrilegios effractores Ecclesiarum c. conquesti eod. tit.

Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa c. nuper eod. tit.

Eligentes potentiam insignem in Senatum Romanum can. fundamenta de elect. in 6.

Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt c. quicunque de sent. excom. in 6.

Absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non impletentes c. eos qui ibidem.

Offendentes Cardinales can. felicis de pœn.

Exigentes tributa à personis Ecclesiasticis c. Clericis de immunit. in 6.

Violantes Interdictum modis prohibitis in Clementina Gravis de senten. excommun.

Falsificantes monetam Regis Galliae Extravag. Joann. XXII. Prodiens de crimin. fals.

Exenterantes corpora defunctorum extravag. 2. de sepult.

Violantes Interdictum Sedis Apostolicae extravag. Et si de pœn.

Conspirantes in personam Romani Pontificis ibid.

Dantes, & recipientes ob ingressum

A 3 Reli-